Mar Franc

Sandomiriensis Coll. S. J. Acies heroibus instructissima.

ACIES
HEROIBUS, COGNATIS ARMIS, MERITIS, HONORIBUS, INGENIIS, Instructissima
IN UNA AVITI FERRI ACIE
Illustrissimi & Excellentissimi
DOMINI
D. MAXIMILIANI FRANCISCI
Comitis à Tenczyn
OSSOLINSKI
CURIÆ REGNI THESAURARII
CAPITANEI
SANDOMIRIENSIS, CHMIELNICENSIS &c.
In triumphali Præfecturæ aditu
A Militante Honoribus suis Societate JESU Collegii Sandomiriensis
ad Patriæ tutelam, terrorem hostium
PRODUCTA.

SANDOMIRIÆ,
Typis Collegii Societatis JESU. Anno. 1721.

a. R. P. Malczewski.



Castra vocet tot strictas Jure Secures. Lucan.

Hos penes æquitas
Et septa Tuscis jura Securibus
Stipantur; annosæque leges,
Et niveum sinè cæde Justum. Sarbievius

Illustrissime Excellentissime

DOMINE.

IN *Arcem Honoris provecto, aciem opponimus, sed fœderatam. Aciem enim quandam componit plena omnium & consona in Te affectuum conspiratio; certant exserti ex sincero plausus; candidus populorum amor assentationem exterminat; effundit se obvia certatim* Nobilitas, *Dignitate Tua, ceu suis felicitatibus cumulatim gestiens; plebs ipsa simulandi animi rudis & exundantia viis municipia, avaram oculorum aciem in Te unum colligunt, Te unum cupiunt, quasi dimicatura, nisi Te delibaverint. Tui enim occursus sereno è tumulis ærumnarum erigi attolliq; se sentiunt. Jam verò Castrum & mœnia, & tecta solitudine squalentia, quasi admotâ sibi acie, commoveri mihi videntur, & diducta ruinis latera ampliùs distendere, ut apertum faciant, quantis erga Te hiabant desideriis, ut totidem quasi Thebarum Portis Te invitent; ut saxa etiam intelligant, in Te uno præsidium adesse omni munitione fortius, murali coronâ præstabilius, Spartha-nâ virtute robustius, qui vallum hosti objicis formidabile, Te ipsum, cui pectus indomitum pro muro, dexteritas gladii pro arce est.* Neq; *tumultuaria hæc acies est, tanti conatus, tanta studia, tam immodicus erga Te Sandomiriensis Provinciæ cultus.* OSSOLINSCIUS *Præfecturam adit!* Nomen *Orbe universo & antiquissimis ætatibus laudatissimum, sed isti Palatinatui, istis sedibus, istorum, qui Te comitantur, Sanguini & gloriæ à Lucina insitum. Hic summos Fasces, Palatinas Purpuras, summa rerum arbitria, hic ipsa, si quæ iniri possunt, claritudinis exordia, & primam meritorum messem, cui vectigalis Honor est, possedistis. Cupidis ostentamus Exteris Ducatum illum Ossolin, Vestri Generis Castrum; agnoscunt illi & prono delibant cultu adorandæ gloriæ Domicilium, designant Commentariis* locum quem cuncta requirant secula, quem veniens hospes Romanus adoret. *Auctum igitur pulcherrimis Honorum insignibus, Regiæ gazæ*

 clavi

clavi aureâ cumulatum, & sublimiorum in Republica munerum expectatione majorem, Maximorum olim DUCUM OSSOLINSCIORUM *Nepotem, quôd Te Sandomiriensia Sidera, quasi postliminio reducem, suis Arcibus Gubernatorem, legum Justitiæ Arbitrum, Judiciariæ Potestatis Pro-Regem recipiant; tam ingens, tam inusitata omnium Fortuna est; ut hodie, ad candidissimæ diei pompam, nec cælum, nec solem desiderent. Tota nobis ex occursu Tuo affulget serenitas, tota lucis ex Trabea usurpatio, totus ex animis, accessione honoris Tui penè insolenter erumpentibus, meridies. Diem certè populis intendit Avitus Vester Starzà, novi fulgoris acie splendidissimum.*

Redire enim Tecum existimat illos annorum soles Palatina Nobilitas, *quibus* OSSOLINII *in Castris, iidem in Tribunalibus, iidem in Curia, iidem in confertissimis Provinciarum Comitiis, publicæ rei tranquillitatem provehebant feliciter, sanctionum placita moderabantur sanctissimè, Religionis Majestatem asserebant heroicè, privata omnium commoda tractabant integerrimè, omni demum ingenii acie vindicabant Patriam celerrimè. Habes Illustrissime panegyrim, non calamis concinnatam, sed universi Palatinatûs gratulatione, omnium votis in Te effusam.* Nec *ideo studia in Te nostra repuleris. Adornat Aciem Honori Tuo militatura Societas Jesu; omnem literariam Classem in suppetias grati animi euocat, ne penitus Vestris beneficiis victi, & obruti esse videamur. Alibi sumptuosam* Templorum *molem & porrecta cælo culmina posuistis Societati; ut splendida Ædium supercilia pretium scientiarum attollerent, vestram verò in nos munificentiam loquerentur etiam marmora; alibi, ab infestis Malevolorum aculeis, vestrâ eloquentiâ, Vestri* Nominis *Clypeo vindicatam, servatam, esse voluistis. Quæ igitur vel* Tulliana *Svada tot gratiarum reos defenderet, nisi Armorum Vestrorum aciem præstò habeant ingenia? Corusca vis Asciæ quidquid acutum in disertiore calamo est, expolit, ut, si quid vibrantius, si quid tersius Orator attulerit,* OSSOLINIANUM *sit. Jam auspiciis* Tuis *communita Acies, in cœlum etiam assultum parat. Dabunt victas manus votivæ contentioni nostræ Superi, ut* Tuam *Illustrissime juratam Justitiæ manum signatoriis coronent gemmis, scipionibus Regni elevent, purpuratis præmiis exerceant, donec totam honorum, triumphorumq; aciem in* Te *congesserint.*

Ita vovet

Tuo Nomini devinctissimum

Collegium Sandomiriense, *Societatis JESU.*

QUid Fabios, aciem consangvinitate ligatam,
Sexcentosq; Viros unius Stemmata gentis
Roma canis? Majore manu, numeroq; Sagoque,
Crevit OSOLINII *Lechicis Gens* T*ænia Regnis.*
Nullus ab his sibi parcit Honor; viruere trecentis
Bellonæ spoliis; rutili sed fulgura ferri
Mentis habent aciem; facundia limat acumen,
Promptior ancipiti decernere justa metallo.
Hi Proceres animam inspirant ferroque, T*ogæque,*
Inquè decus Patriæ linguâ poliuntur & ense
Ingenii celeres acie vel summa potiri.
Principibus, Ducibusq; suis Hos Roma cooptat,
Impressitq; Mithram, magnæ redimicula menti;
Iustitiæ sed enim rigidas provectus ad aras
STARZA *tuendarum legum splendescit ab usu.*
Lechia, si quid habes fulvo pretiosius auro,
Huc age, victrici fac præmia cede Securi,
Quæ Sandomirii nunc est Jubar A*scia Castri,*
A*pproperat soliis, par est radiare Senatu.*

VNum Te, *ILLUSSTRISSIME THESAURARIE*, in argumentum poscebat Oratio, Tu integram laudandorum aciem porrexisti; ut primâ sui fronte ingenia laudantium, quantumvis totâ Pallade armentur, frangat & triumphet. Neq; enim vibrantiori cuiquam stylo par audacia est, quin pedem referat, ubi fulgurantis Asciæ si-

gna, & ſub his, grandē Heroum, grandē Senatoriæ majeſtatis manum incurrerit. Ipſo numero, ipſa Virtutum coruſcatione percenſeri arduâ, robusti cujuſvis ingenii obtunditur impetus; ut, vincentibus delectum narrandorum copiis, deſperatâ acie, pené receptui canat Eloquentia, niſi quēcunq; tandem dictionis florem rapiat, ut herbam ſuccumbendo porrigat. OSSOLINII, triumphis Hoſtem, æmulas acies comitate, Poloniæ æraria meritis, præclarè geſtis laudatorem obruitis.

Quid? num ideo Ægidem Pallas abjiciet, aut Roſtra Tullius? Aquilarum Poloniæ deſertor ſit, quisquis OSSOLINSCIORUM Honoribus non ex viribus militat. Ibit ſub aciem, tantùm non ſub haſtam, auctorata Veſtro Nomini Svada; crebriùs attrectabit acutum fulgur Aſciæ, ut toties vinci ſe fateatur.

Non ego tamen Illuſtriſſimorum Proavorum Caſtra primâ velitatione provocare audeo. Ingentem mihi Tu ſolus facis numerum; quid Tanti? quid Viri illi? quorum Fama ingens decurrit Orbem, rerum gestarum Fasti omnem ætatem erudiunt, meritorum præmia ſideribus facem rapiunt. Illa erat Poloni nominis magnitudo, ut latè proferentis ſe Regni moderamina, niſi in plures devolverentur, ſibi mole ſua officerent: Itaque Regiminis ſumma, post VANDAM, duodecim lectiſſimis Palatinis impoſita, ut, multiplici columine firmata Patria, nullo Fortunæ ſaltu verteretur.

Hic

Hìc Genus Tuum circumſpice *ILLUSTRISSIME THESAURARIE.* Canus jam tum immortali nomine, nec Lecho recentior STARZA, ſed idem infinitis laureis virentiſſimus, in illa duodecim Regnantûm corona enituit Princeps, non ut ſummorum paritate maximus, ſed ut inter delectos optimos & ſummos, adhuc melior & primus. Adeó pridem, conſonâ Libertatis voce, pares imperiis facti, extuliſtis Faſces & Secures, quibus pareret libertas ipſa; atque illud jugum paratiſſimo ſubiret obſequio, quod á cervicibus popularium, veſter mucro excuſſerat. Unum eſt enim ſervitii genus, quo ſolutæ geſtiunt cervices attrahi: in Aſſertoris ſui nutus alacriter conſpirare. Currebant interim ſecula, non ita evoluto ſole, ut TOPORIORUM ſago, Togâque, & quaſi perpetuo munerum Conſulatu candida. Proferebat ſe Poſteritas per difficillima fortitudinis prodigia, nunquam ſine Purpura, quia, nunquam ſine creſcentis meriti ſatellitio; quaſi acquiſita, poſt VANDAM, ſervandæ Reipublicæ dignitas hamum quendam injeciſſet Nepotibus, fortiſſimum (inquã) comparandæ gloriæ aculeum, quo ſolo vellent Murices ineſcari, & capi. Continuâ tandem Fortunæ provocatione vegetabant Nobiliſſimum ſangvinem, ut floreret immortaliter, ut per ætatum orbitas ad provectiora faſtigia curreret. Iviſtis veró excitatiſſima Comitis NAVOGII Progenies, per ingentia decora; densâſtis Aras opimis manubiis, Ducibus Patriam, Se-

Paproc.

tum Patribus, Annales exemplis. Quid enim in Reipublicæ memoria ſanctiùs, quám altiſſima illa *Comitum de Tenczyn* Natio, & horum Fraterna ſangvinis portio OSSOLINII? Quæ diſcrimina, non horum manu? quæ pernicies, non horum ingenii pernicitate à Regni viſceribus excuſſa? quæ pacis optima ſtetere, non his Optimatibus? Locupletata per hos Poloni Imperii felicitas, egere nihilominus viſa, poſtquam omnium dignitatum Muneribus ſe exhauſit, ut aliquid ſuis Deciis, ſuis Camillis, ſuis Pompeiis referret. Sublimiora tamen debebantur, quàm ingerere potuimus. Avitæ Virtutis proceritas, dum ſe in Hæredibus per ardua propagat, ſupra Magnatum verticem major abiit. Adiecit igitur Orbis magnitudini Veſtræ ſuffragium. Pares ſacri Romani Imperii Principibus juſſit eſſe *Ferdinandus Cæſar* OSSOLINIOS, Ducum Europæ maximis inſeruit *Urbanus VIII.* Quæ immenſitas gloriæ? Certabant de ornamento Heroum cum Auguſtiſſimis Sanctiſſiimi, ut non decliviore Cidari Domi incederet aſſertæ per Vos Religionis Pietas, quám defenſæ Europæ Fortitudo. Verùm Mithræ jam olim inter cunabula Domûs ſe evolvebant, Cæſareum à Carolo V. *Comitibus Tenczynſciis* munus. At hi Fratres erant, nec Vos degener ſangvis, ſed œmulatione Majorum vividus, & quotidie ſeipſo formoſior. Juſtitiæ detulit Imperator Fraterni Tituli auctoramentum. Quid interim Reſpublica? ab Orbe extero adoratos non extolleret? quidquid pulcher-

cherrimum erat, dedit. Quaſi enim pudore ſolo ſuffunderent ſe Purpuræ, niſi OSSOLINSCIORUM humeris niterentur, illorum ſanguinem ſitiebant, ne florerent obſcuriùs. Inde Politiæ Magiſtratum, inde Infularum petebat fulcra, unde in malaciam lætioris Fortunæ, ex ſinuoſis turbinibus, enatavit Polonia. Sic Vice-Regia, Princepsq; Gneſnenſis Tiara incubuit *Comiti à Tenczyn* STEPHANO, ne ſacrorum primæ in Regno Poteſtati Coronarius deeſſet fulgor. Zulonem Epiſcopum inter Tutelaria nomina cenſet Cracovia, ne urbi, Regni Capiti, ſanctiores radios ulla ætas abſtulerit. Felicem aleam memorat Wladiſlavia. MATTHIAM Antiſtitem á Vobis ſortita; quot victimas ſub Aſciam darent Infulæ, ut illa fronte perenniùs potirentur! Obmurmurat enim uſq; modò Honoribus Pietas, & tantùm non acie decernit, quòd Genus Religioni uſq; ad Aras juratum, ſanctioris formæ à tenero ungue retinentiſſimum, illibatæ Fidei ex aſſe hæres, non omnibus Aris præſedit: violentiam Fortunæ increpant ſacri Litui, quòd plures Avorum Veſtrorum Ceræ illuminent Curiam, quàm Adyta: floruerint Oſtro, quàm Violis. Sed litem Acies numeroſa dirimit, inde è propinquo ſangvine Præſulum, hinc Procerum. Aciem enim Curulibus Ferculis, & Romanis invidendam triumphis prætevehi mihi videor, cùm in veſtrum *ILLUSTRISSIMI* Comites Senatum oculos refero. Tacituſne Orator, omni elogio Majores, quia

C Pro

Proauctores Vestros, Stephanum & Hieronymum SETEGIOS, Sandomiriensem hunc Palatinum, illum Cracoviensem Castellanum præteribo? at disertissimos annalium Poloniæ Tacitos fatigant horum adoreæ. Andream Comitem in Preginia NAVOGIUM, luculentissimam Tramitis Vestri panegyrim, elingvi admiratione mittam? at eosdem Fasces, Princeps Senatûs possederat; & quanta fortitudine! Ut ille ferocienti Moldavo se objicit! ut dulce Reipublicæ Caput galeâ canitiem atterit! ut Magni Æneæ manu dignatur hostes! ut profundam plagam fugæ Barbarorum incutit! ne unquam non meminerint, se opimam cladem é Polonia extulisse. Ab hoc Minores quì dicam? reclamat toto feré seculo domestica Vobis Dictatura. Ne nomen amitteret ille augustus clavus, (intelligo Castellani Cracoviensis summatum) fixam reddidit Heredibus Paternæ sedis eminentiam. Eâdem Curuli ad summum venêre IOANNES & ANDREAS Comites in *Tenczyn*. Proceres appellabo an Hectores? Tutela rerum Poloniæ credebatur verior ille Gratianus, in cujus fidem & scutum, Hedvigem Reginam, Urbes, præsidia, leges, bella, se conjecerat Respublica, ne fortunæ insolenti aliquid in nos liceret. Jam Andreas, si detritarum gentium, quas castris exuit, nomina induisset, Tauricanus, Prussicus, Hungaricus, etiam Austriacus audiret. Conclamatæ Viennæ advolat, Tyrannum Orientis rejicit, Solimannum fundit, Urbē Imperii Diadema

Crom: ad an: 1360.

ma ſolvit. Quo pretio? Ducalem S. R. I. Mitram Auguſti dederant, coronam obſidionalem reddit; Dux pro Auſtria, cùm Turca cædendus eſt; ſed eâdem manu ſiniſter nimis Auſtriæ, dum illa Maximilianum Archiducem nolenti Poloniæ iniicit, iſte armis removet. Quid ago? Purpuratos Quirites Regni proferre volueram, & ecce belli Numina! Miſcetis hæc, legibus Solones, armis Miltiadæ OSSOLINII: ore triumphos jubetis, ferro deciditis, utroq; Patres Patriæ. Non ego his interſeram Stanislaum Comitem in *Tenczyn*? At inſeruit cruentatus Oriens. Barbaro quidem Hector ille ſangvine ſuffecit Purpuram; ſuo ditavit: quaſi ſolâ vincendi lætitiâ Spiritum nutriviſſet, poſtquam Abaſius Turciæ Dux corruit, Comes noſter ſe & Victoriam cœlo intulit. Pluviam nimis Iridem invexit Aſiæ, attuliſſet Poloniæ, ultima Heredum in *Tenczyn* periodus Stanislaus, niſi calentem adhuc & in excidia Turcarum proſilientem animam traxiſſent in ſe *OSSOLINII.*

Piaſec-cius.

Apellis huc radii! Nicolai OSSOLINSKI Caſtellani Vislicenſis animate prælia. Non ille ære conſcriptas legiones, ne quæ imbellis manus ſe bello miſceret, ſed Fraterna nomina, ſui ſtemmatis Viros, ſeptem cohortium Domum unam, Comitum exercitum, educit in aciem noſter Fabius, imponit Ruſſiæ fr-num, Regi Ludovico lauream. Quid agit in Pruſſia? imò quid non agit? Jagellonis pectoris Regii pectus eſt adamantinum ad Dabrownam; triumphalẽ nominis apellationem

Longinus, ſive Dlugoſz ad an: 1377.

etiam loco indidit ad Coronoviam. Quàm multis hîc laborarent quamvis Longini oratores! quàm nihil afferrent nuda narratione venustius! Tamen Civicis tot laureis onusto quæ corona illuſtrior? Filius. ANDREAM OSSOLINSKI luci edidit; imò, vix natum, bellorum monstris objecit. Ita enim extero Marte juventam iste erudivit, ut Sigiſmundi Cæſaris oraculo HERCULIS illi nomen accreverit. Tantúmne nomen? ex stipendiis conjice. Obæratus ejus Palmis Imperator, *Comitatum in Thurzec*, ditionem Arcis *Sclavina* & *Bardiiow*, dominio ceſſit: ut Vir, ſeculi ſui pretium, etiam ex latifundiis noſceretur. In Patriam redeo. Hìc verò acies iterum mihi ſe objicit ſine numero, non ſine formidine contrahentis ſe eloquentiæ. NICOLAUM OSSOLINSKI (uſitatum Vobis eſt etiam in nomina Priorum aſcendere, ne gemmæ conchis diſſentiant) Caſtellanum Woynicenſem, ſatis eloquar? ſaluberrimi Conſultoris nuncupationem à Curia tulit: ita gladio conſultore uſus, ut ſimul ſvaviſſimi flore eloquii vulneribus Reipublicæ mederetur. Tacebiſné fama *ILLUSTRISSIMUM* JOANNEM OSSOLINSKI Radomienſem Caſtellanum? Dic teneriori Vladislao III. formatorem additum, Regiæ pubertati Arſenium, Reipublicæ, jubente ipsâ, Gubernatoris titulo, Parentem, dic nulli præterquám à Rege ſecundum, uno gradu á ſolio minorem, & in illa potentiæ ſublimitate, ambitioni impervium, vel ipsâ honorum dedignatione maximum: ſuperant

Annal: Polon:

Dlugoſſ:

hæc

hæc omnes Rhetorum blanditias. Quin & Alpes ſuperat *ILLVSTRISSIMI* HIERONYMI OSSOLINSKI militiæ rudimentum. Exarſerant in bellum Senenſes populi; Hetruriæ Dux, Ioannes Medices, quo remedio extinxit? notam Poloni Alcidæ virtutem advocat. Venit, bellũ abſtulit. Iam quantus idẽ ad Obertinum! loquantur miracula. Mille mortibus hoſtem & ſe attriverat, totidem feré Hieronymi vulneribus (carò!) aciem obtinuimus. Injecit poſteà cicatricibus indumentum Polonia, Sandecenſem, mox Woynicenſem Caſtellanã Togam, excuſſit has Sandomirienſis Provincia, ſuam obtulit. Ille quidem Senatorias per ſellas ſalire noluit, quaſi pulchra vulnera debilitâſſent: amore tamen Civium tractus eſt, paruit. Majora illi & nobis Cœlites præſtitere, & velociùs. Cœleſtium enĩ Geniorũ opem Auguſtiſſima Cœli Imperatrix miſit, ex illo crudelis pugnæ campo ſauciũ eriperent. Horum manu, pro vehiculo fruitur: quàm celeri? Idem momentum, diſpar ſolatium attulit. Simul hoſtis ad Obertinum cœſum videt, exſultat; & Leopolis incolumem accipit. Quid ego verba perdo? hunc in cœlũ extollent verba? cujus jactura Superos vulnerabat! Prodigia celebrârunt Parentem, ego Filios. Martinus OSSOLINSKI, Paterni vulneris induvias, Sandomirienſe laticlavium ſubiit Caſtellanus; ſubiit & galeam. Altiùs ſuis fluctibus extulerant minas Dantiſcani, impotentiores freni, quàm Balthicum. Martinum objecimus. Præcidit illum

tumorē enſe ad Derſaviam, ſubſedit malum, urbs tormentis ſuis immugiit, Domitoris nomen trans mare navigauit. Iſtius Fratrem quæ gloria præterit? Intelligor ZBIGNEUM OSSOLINSKI nominare; Principatu Sandomirienſem Palatinum, in Sago Scævolam, Regi Sigiſmundo, & Reipublicæ Zopyrū. Sæviorem Porſenâ tyrannum ſuſtulit, Civile nefas, ſeditionem. Turpi fædere ſe maculaverat victor excercitus, frontem Moſchica laurus efferavit; animū domitæ gentis contra nos induunt, ad Breſtā ſecedunt: placuit vinculi conſpiratio, ut ſolutiùs graſſarentur. Supplices ſumus Palatino: ocurrit inermis furentibus, evaſimus. Videamus *Scævolam*. Dederant ſceleri nomina Veterani: extorſit ille teterrimum conſpiratorum Album, ingerit ignem paginæ, manum igni. Factum vidimus, oranti intendamus. *I! peri dextera!* (ait) *niſi omnem, quà irruet, perniciem à Patria retruſeris.* Hanc ego facundiam Julio cōparabo? malè. Perſvaſit Cæſar gladiis, ſed ſcelus: gladiis imperavit Zbigneus, cecidit furor. *Calet ōne nocens à Cæſare ferrum*: effudit ora Palatinus, obrigeſcit Erynnis; & manus, quamvis contra natales focos ſteterant, frigidæ ſunt. Quid tanta Virtus procrearet, niſi Triarios: CHRISTOPHORUM, MAXIMILIANUM, GEORGIUM. Quantos? non dicam. Narravit Orbis. Solis ore narrandi ſunt OSSOLINSCII, quorum os clariora ſole fudit oracula. Iterum Sandomirienſis Provinciæ Caput *Chriſtophorus*, ſuccedit Palatinæ ſellæ: familiaris erat,

&

& tanquã natalium Dignitas. Æraria Curiæ Regni *Maximiliano* infudimus: prolusit isti, quem unum mea spectat Oratio, Avus Nepoti. Annulum Regni tulit *Georgius:* gemmam, os aureum. Ut mihi se hic nova series offert, quam eriperent Pacati, inviderent Flori! Differo; lustranda est *Melita.* Ibi *ILLUSTRISSIMUS* IOANNES OSSOLINSKI, invictæ Crucis Eques, religioso Marte in Mauros calentissimus, spirans Maximiliani Parentis Imago, Siculo mari Classes instruit, Rostratis barbarum arat littus, adoreas metit, Triremibus Africæ insultat, Asiæ imminet, *quærit pelagi cœliq; tumultu, quid præstet Fortuna sibi.* Præstitit Virtus. Navali corona insignẽ accepit Patria, Muralem contulit: infundentem se tempestatem Sveticam hoc aggere detinuit Vladislaus IV. exposuit Ioannem propugnaculis, Leoni Gothico facem, imò Leonidam.

Per tot acies, tot bella, tot maria, tardiùs ad Te eluctor tandem *ILLSTRISSIME THESAURARIE.* Tui sunt, non succensebis, qui morã injecere, penè vincula, indisertis conatibus. Enervi sermone diximus; Heroes fatigârunt. Substrictè, nec sinè gestorum injuria, incessit oratio, sagulum imitata est. Plurium nec nomina delibavimus: respuunt nostram imperitiam, Pliniis committendi. Nec operosè adeò conquirenda erant vetera, dum regnant Posteri: *non caret vita Catone*, dum Vestris exẽplis vivitur, vos Patrum. Tuam in gloriam laborârunt illi; Tu illorũ immortalitatem nutris, Funera excitas, vivunt, agunt, prælia

occupant, & ſenatum. Approbent ſe dicta. Ducamus à cunis Herculem: ſol, clypeus cæli eſt, etiam, dum primùm rubet; magnarum mentium vel prima lux ſpectatores non tot habet, quot divinos: primam Apellis lineam miraculum dixeris: ungve nondum nato, porrigunt ſe leones. Talis Poloniæ illuxiſti, aureæ ſtirpis ramus concolor, COMES *ILLUSTRISSIME*. Primi juventæ characteres, THEODORÆ Matris alumnum loquebantur; id eſt, profuſioris cœli donarium, olim Regni theſauris apponendum. Teneri ludi, & ille ætatis nucleus, Iliadem Avorum explicuit; meditatæ voces, porrecta in Virum coſultatio, & animus futurorum artifex, altiſſimæ ſubſtructioni proludebat. Maximilianũ oſtentabant minima; mille maximos præferebant avitæ Domûs Atria, tu colores õnium traxiſti, inde nominis nuncupatio. Admoneor (ajebas) tanti nominis, ne à ſua majeſtate abludat; iſtud Parentis eſt, idem Avus prætulit; Ceris lucet, ſanctum eſt. Quidni Te erigeret ad luctam *ILLUSTRISSIMUS* Comes MAXIMILIANUS OSSOLINSKI Venator Podlachiæ? Achilli præivit Chiron, commentariis bellorum, velut leonum medullis, Te enutrivit. Monſtravit Orbis tabulam, hic [ait] *Navogius* dimicavit, hic *Andreas* S.R.I. Princeps vicit, hic *Tenczynſcii* florem Tauricæ meſſuerunt, hic motas acies reſtituerunt OSSOLINII, hic cunctando vicimus, hic impetu. Tantumne armatas laudes cecinit ille Nobilitatis Podlachiæ Neſtor? (ita *ILLUSTRISSI-*

SI-

SIMUM Parentem è Regni ſententia compellamus.) Quin potiùs nihil conſilii publica, nihil privata remedii, nihil pacis turbida receperunt, non illo duce. Aderat Provinciarum Cōitiis? in ſuarū ſententiarū nervos currebant univerſi. Non voces evolvi, ſed retia crederes, adeò cunctorum arbitria concludebat Venator. Unum eſt, quod invitis omnibus egit: meritorum dignitate ſummus, Titulis ſubiratus, illecebram exhibuit, aucupium defugit. Ut plerumq; animus Virtute ſua porrectiſſimus, quocunq; ordine ſederit, tenetur, nec amat per altiora eluctari ſuæ magnitudinis pondere bene ſubnixa Veneratio. Egregiè tamen vindicavit ſe Honor; *ILLUSTRISSIMUM* Venatorem, Senatûs Patrem nominavit. Vicit. Creſcit enim Togata OSSOLINIORUM acies; Livenſi Caſtellanæ Purpuræ livoris nomen ſuſtuliſti *ILLUSTRISSIME* CASIMIRE OSSOLINSKI. Non livet, nec invidet, Sereniſſimum nomen induit, Te poſſeſſo? Accedit lateri *ILLUSTRISSIMUS* GEORGIUS OSSOLINSKI Caſtellanus Polanecenſis. Effundit ſe uberrimus Aſciæ nitor, ſive leges dicitis, quibus Ro: manæ quoq; Secures ſubmitti vellent, ſive in perplexas Curiæ diſcuſſiones præſentiſſimò lumine deſcenditis.

Quò à Te *ILLUSTRISSIME THESAURARIE* aberravit dictio? Imò quò Tu à nobis? Parciùs, quàm tanti meruere Penates, in adoranda Natalium limina excurri, Tu interim incredibili diſcendi celeritate Palladium ſci-

entiis rapuiſti. Avara cognoſcendorum Indoles, prædatrix librorum ſedulitas, eloquendi vis & argutia Tecũ nata, doctiſſimarum mentium aciẽ in diſcrimen Palmæ adduxit. Tranſcripſiſti in animum ex Tacito Germanicos, ex Pharſalia Metellos, ex Julio pugnaciſſimos. Nondum prætextam abjeceras, jam in arcana Politiæ, in liberæ Gentis inſtituta, in Imperatorum geſta, in evolutæ antiquitatis memoriam intrabat ſolertia. Decurris mox Europæ Olympia. Quid attulit extranea quaſi novi Orbis conſvetudo? à peregrino ſole nil infuſcum. Peragrâſti terrarum fines, nullo vitiorum confinio. Lingvarum concinnitas tanquam ubiq; natum te habuit, ſed nuſquam cultæ Virtuti difformem. Legebat in Te comptam amænitatem ſuam Gallus, ſed procul impetu; granditatem Hiſpanus ſine faſtu; bellici ludi Palæſtram Germanus, ſine rerum exterarum deſpicientia; terrarum hiſtoriã intuliſti auribus Poloniæ, ſine frigido ſenſu erga Patriã. Non obviis ulnis graviſſima Reipublicæ munia Te reducẽ accepiſſent? Tunc enĩ exprompſit ſe animus, par ſũmis Honorũ fungi periculis, ſeu belli poſcerent, ſeu pacis diſcrimina. Inſtructus haud populari trutina candor pectoris, nec vulgò patulus, nec velut ad inſidias latens; Sagacitas tractandarum rerũ exqviſitiſſima, conſilii peracutus vigor, dum Te omnibus ferè ſubſelliis reddunt acceptiſſimum, ferè ſingulis eripiunt. Legationum ſplendidæ, Forenſium implicatæ, arduæ fiſci actiones, Maximilianum ſibi poſcebant. Dro-

hy-

hycienſi Themidi, præſidio legum adeſſe compulſus es Capitaneus. egebant nimirum leges Aſciâ, ne vindicem juris gladium vaginæ aureæ præſtringerent. Subducere equidem Te à ſevero illo officio volebas, tecum natæ comitati ſubmoleſto; & perfeciſti. quanto bonæ Cauſæ periculo! niſi alterum Te juridica illa poteſtas impetrâſſet. Fratrem loquor, *ILLUSTRISSIMUM* Comitem JOSEPHUM OSSOLINSKI, Drohycienſi Præſidatu ita Juſtitiæ carum, ut illa in nefando crimine ponat, niſi hunc altiſſimæ Curules ad Reipublicæ curam evehant. Quid? num Te uſibus noſtris auferre voluiſti *ILLUSTRISSIME THESAURARIE*, cùm perſonam Judicis deponeres? At altiùs humanis Principũ oculi rimantur; nullas ab his latebras habet Virtus ſuis numeris abſolutiſſima; recedat, declinet, Regibus tamen cernitur, & Reges trahit. Regem, inquam, Potentiſſimum Poloniarum AUGUSTUM, perfectiſſimus Heroum Sanguis provocâſti, ut cum Maximiliano congredi Regium eſſe putet, ut gratiarum vim exſerat, ut tota Majeſtate in Te incumbat; certare imperat, obluctari vetat. Iam cataphractæ Legionis Ductorem Te, non Tubæ citiùs, quàm proſtrata hoſtium agmina ſalutaverant; S. R. Majeſtatis præliares Aquilæ magnanimitatem Ductoris lætis clangoribus efferebant. Experiamur (ajebat Rex Sapientiſſimus) an mei Comites OSSOLINII tam dextrè publicæ rei molem, quàm ſcitè gladium rotant. Ærarii proinde ſui Regem Te pronunciat.

 nunciat.

nuntiat, Regiæ gazæ imponit, ne cui dubium ſit, ſupra Regni pretium aſcendiſſe, Veſtram ſeu bellandi felicitatem, ſeu intactam auro fidem. Divinè omnia! Sic ibant Tui Primores *ILLUSTRISSIME.* Primum illis erat à Marte Numen Regium: Illis, ceu Joves Pulvinaribus Sacræ Majeſtates ſeſe acclinabant.

Quàm unus Tu mihi Cões *ILLUSTRISSIME* aciem facis! quidquid in Proavis admiratæ ſunt ætates ſingulæ, tenes, oculis exhibes. Non ſingulari laudum provocatione, ſed toto Ingenii Marte, conglobatim, ſtipanda ſunt encomia, ſi aliquam vel ex degustata Veſtra acie famam ſibi promittit eloquentia. Quid enim aggrediar? Æqvitatem juſti retinentiſſimam? Lycurgo dictâſſe Rempublicam videris. Animi temperiem exporrectam? hæc affectus Nobilium rapuit, ut Te cuivis Provinciæ præoptent, ut Tuis Honoribus ex intimo ſtudeant. Amorem Principis? ideo Sole Noſtro frueris, ut nos perfruamur: quidquid inde Tibi laboris accreſcit, publicæ ſerenitatis incremento accipimus.

Tenes Provincia Sandomirienſis votorum tuorum verticem, cuſtodem Sanctiſſimarum legum Aſciam, Juſtitiæ murum aureo telo invulnerabilem, Nomen Proſapiæ, tuis aris, tuis Penatibus memoratiſſimum, quod Atria & Lares Palatinatûs, laureis diſtingvit, mitris attollit, *ILLUSTRISSIMUM* MAXIMILIANUM OSSOLINSKI. Reſpirent deſideria, & ſvada.

Poſcunt aciem fœderata *THESAURARIÆ* Do-

Domui arma: respirare non licet: acuminare obtusæ orationis stylum arcemur. Ita felices in publicum estis OSSOLINII, ut Domesticis etiam laudibus Regnum quoddam Purpuratorum accedat. Indimensam enim Herorum aciem, adscripta Ceris Vestris nomina restaurant. Augustam ex KRASSOWSCIIS Lucinam Tuam, *ILLUSTRISSIME THESAURARIE*, adorant Fasti, & natalium Parentem diem signabunt gemmis. Ex Virtutum Pulcheriis lectissimam Consortem, MIACZYNSCIORUM trophæa provehunt. Quot hìc in dote triumphi, norûnt cruentæ bellis hyemes. Cantantur adhuc per Castra *ILLUSTRISSIMI* ATHANASII MIACZYNSKI Wolhyniæ Palatini vocales illæ Tubæ, feralis semper Thraco, Besso, Tanai, sonus, Poloni Martis concentus. Si *CELSISSIMOS* Principes LUBOMIRIOS altissima exercent Gubernacula, si fama triumphorum KALINOWSCIOS, Si per Regnorum nomina, & ultra Reges, ultra mortale fastigium Sanctissima, decurrimus *ILLUSTRISSIMOS* Comites DONHOFFIOS; totidem natæ OSSOLINSCIIS Charites, velut uniones, hunc Tagũ auxerunt. Propiore gradu inferunt se Summates Themidis & Martis gladio ZAMOYSCII, Purpurà MORSZTYNII, Libertatis zelo ZBOROVII, pacis Oratores CHOMENTOVII, Senatûs Facies TARŁOVII, Regum Sangvis DANIŁOVICII, Principum amor SZEMBECII, Divorum genus ODROWASII, bellorum fulmina FIRLEII, Ducum an-

tiquitas WORONIECCII, Victoriarum manus POCIEII. Jactanda propinqvitas *ILLVSTRISSIMI* consiliorum promptitudine HUMIECCII, Areopago USTRZYCCII, Svadâ MoSZYNII, trophæis GIESZAVII. Thebarum Portas, & in his Fortissimos, quis numeret? Cannensi ex acie non tot annulis superbæ sunt manubiæ, quot Heroum manus pronubo Vestro, *ILLVSTRISSIMI* Comites, adamante. Mittetis unam hanc noxam tot armis obtritæ facundiæ, *CELSISSIMÆ* Procerum majestates, quòd vel sola recensione deterritæ manus, subducant alã in Vestra encomia succinctam. Nobilior Vobis ambitio est OSSOLINSCIoRUM sangvine censeri, quàm inerudito calamo temerari. Procul enĩ à Vestra Magnitudine sunt verbosi Imaginum ostentatores, qui (ut ajebat ille) *ubi illustre nomen defecerit continuò Deum fingunt*: ne in Fabiis subsistant, à fabulis se derivant. OSSOLINSCIORUM cognata arma, vel me tacente, divulgat Qviritum veneratio.

Nullam tamen indulgentiam delassatis calamis promiserim, nisi *ILLVSTRISSIMIS* COMITIBUS: Dapifero Sandomiriensi, sub dapifero Podlachiæ OSSOLINSCIIS, vel Subjctum Asciæ cadat oratio. Labenti suggerite illum oris Vestri torrentem, quo publicos consessus publica animatis consilia. Sic OSSOLINSCIANIS Ingeniis in novas vires se acuet, se excitabit, sic mucronem Asciæ, in disertissimi Vestri Nominis encomia, vertet Orator.

Au-

Aude calame! aciem ingenii jam promove! Stetere fraternæ acies ad Ianovecum, tenduntur manus in Caput Regni, acinaces in ſceptrum; armat mutuas in cædes furor brachia, mucrones acuit invidia; cognata concurrunt arma, ut ſecetur artus, qui conjuncto rubet ſangvine. Advolat SBIGNEUS, Palatinus Sandomiriæ, miſtas periculis mortes aggreditur, aciem opponit rationum, vincit, tanti fomites incendii Regi ſubjicit. Diſſipavit conjuratorum in Poloniam fatorum umbras; quæ tamen vel diſſipatæ, imaginem in illo dexterrimi Senatoris adumbrârunt. Nulla ſuccenſa diſſidia, quibus non admotus fuiſſet ſupprimendis, nullis admotus, quæ non extinxiſſet, efficacior in perſvadendo Pacatus. Didicere tunc formidare pericula, timere fata ab OSSOLINIIS. Succeſſit Hortenſio Roſinus, culmen illud gloriæ literariæ, S. R. I. Princeps Dux in OSSOLIN GEORGIUS ſummus Poloniæ Cancellarius, totum facundioris Tritoniæ viſus ærarium exhauſiſſe. Quod tanto ſublimavit pretio, ut annulo Regni meruerit obſignari cuſtode. Putâſſes illum Pyrrhi fuiſſe annulum, complexum Apollinem, Muſæum, & quidquid ſvadæ cultioris eſt. Lugubris erat Regni facies, dum Regium Sigiſmundi III. Pomum mala cinxerunt cumulata. Pallebat ſceptrum, cúm chalybe rigerent manus. Solium non alius inſidebat fulgor, quàm armorum, non alium daturus diem, quàm bellico ſuccenſum ab igne. Erant hoſti qui ferrum acuerent, ani-

Orb. Pol. tom 3.

mi; qui animos inflaret, tumor; qui tumorē attolleret, numerus. Quàmvis brevì tumorem posuit, ut incisa chalybe Sarmatico vena fuit. Expedita videbatur evadendi discrimina via, si Romam, Viennam, Venetias, in Angliam expediretur OSSOLINIUS, acturus pro domo Tullius. Conflaret auro periodos, ut plumbeas in hostem glandes torqueret. Spargeret eruditæ mentis acumina, ut in barbaros tela vibraret. Flecteret potenti svadâ Soles exteros, ut Cynthiæ Turcicæ cornua deprimeret. Tonaret meridie toto Pericles, ut in Orientem effunderet fulmina. Adiit Viennam comitantibus votis publicis, & spe Regni non dubiâ. Intulit Imperio Majestatem illam vultûs & aulæ, quæ OSSOLINIUM, quæ Poloniam, quæ Imperatoris, quæ Imperii admiratorem deceret oculum. Necdum pupillam stupor insolitus dimisit spectantis Viennæ, jam aures occupavit admiratio ad Isocratis Poloni vocem, attonitas. Quidquid quà privatim dixit, quà publicè, inter oracula recensitum; tantâ panegyri comite, quantam in diplomate legimus Ferdinandi, quo Mitram Imperii Romani admovet capiti OSSOLINII; quod scientiarū Imperium quodpiam erat amplissimum.

Annal: Polon:

Non potuit plausus, gloriam, hospitem tantum capere Germania, Venetias impleturus pergit. Agit ibi pro Spartha Patriæ, decidunt Venetæ non aliter locutum fuisse Mercurium. Erubuit fretum illud, quòd ejusmodi non ferret gemmas, ut ab ejus volvebantur

tur ore. Nimirum, quot verba, tot eruditorum illi coronæ uniones adjecit. Admiratus ille Senatus, dum auguſtiorem audiit facundiam ad ſuum reſonare pelagus, quàm Tritoniæ quondam fuerit ad ſuum lacum. Admirata Reſpublica liberrima, ſe Herculis Lechici eruditæ ſvadæ catenis vinctam, ſed libens pretioſæ ſervituti ſubjecit ſeſe.

Orbis inde Capiti, majus orbe caput, inferebat. Inferebat ſplendorē illū, pompā illā, quam detrita iam Triumphatorū veſtigiis Appia nondum viderat. Effuſa, quanta fuit, Civitas, in plateas, in turrium apices, in editiorum vertices ædium, intentis oculis, exporrectis vultibus, cupidis animis, proſpectant; pupillam & admirationem diſtrahentibus, ſingulis, quæ plurima videri merebantur. Rapiebat ſibi frequentia comitatûs, quantus Comitem à *Tenczyn* depingebat: ornatûs pompa, quam Gratiæ texuiſſe credebantur, armorum apparatus, in quem cultior exeruerat ſe ſe Vulcania, equorum congenita majeſtati ferocia, quales vix Alexander quondam inſederat. Putâſſent populi, Phàëtontem vehi, niſi plures advertiſſent ſexigas. Equorum ſoleæ puro candebant argento, quod candore vias inſperſerat, cariore multò, quàm à Iunone reſperſa fuerat via lactea. Accendebatur, verùm & ſatiabatur in populis argenti fames, calcitronibus ſuppedaneā excutientibus gazam. Equorum luſus fuerunt ſolatia plebis pretioſa. Aderat Romæ ſciolus mercator quiſpiam, qui Cineæ Polono venalem proponebat ſva-

 dam,

dam, quærendo nummos pro verbis. Quid ad hæc os Poloniæ; ut diſceret orbis, linguã pariter, atq; manum auream OSSOLINIIS ineſſe, avari quæſtoris marſupium implet abunde, ut arrectis excipiat auribus Mercurii Poloni facundiam, quæ ſola pro Lydió ſufficiebat auro, ubi parem æſtimatorem nacta fuit. Locutus ipſe, perſvaſit, retulit elogium, in quo Caput orbis deſudavit: Londinum petiit.

Ibi veró quantus depinxit rubor Angliæ roſas, dum roſas ab ore profunderet Polonus Roſcius! Ver Oratorium amæné ridebat Ornatiſſimis in verbis; dictio, quanta fuit, vernabat adeo comptâ Florâ, ut totam præſeferret eloquentiæ, quaſi Florentiam, id eſt, integram facundiæ rempublicam. Orationes iſtas proſequi laudibus, eſt mari guttam adjicere, vel meridiano ſoli faculam admovere. Typus illas publicæ porrexit luci, ut orbis depromat encomia, quibus unum non ſufficit ingenium, niſi forſitan OSSOLINIANUM foret. Ita glorioſâ Reipublicæ faciem præibat ubiq; faſcibus & caduceis innexa OSSOLINIORUM Securis honoraria. Didicit orbis, uno ſe capite comphrehendi poſſe, nec illud implere totum. Vidit in uno Senatore, eundem Poloniæ, quem plurium Regnorũ Senatũ eſſe, ſi capitibus illos metiri velis.

Ab exteris in Patriam revocamus aciem: monſtra perfidiæ Aſciam provocârunt vindicem. Factum: detonuit in Polonia, Lithva-

nia, Prussia NICOLAUS Castellanus Vislicensis, Apostolus in Trabea; ruerunt fana, ruerunt idola, ruerunt hæreses; gemma Fidei non modicis profecit auctibus inter ejusmodi docta tonitrua. Asperavit Nominis iram SBIGNEUS Palatinus, omnem movit lapidem HIERONYMUS Castellanus Sandomiriensis ad obruendam hæresim; GEORGIUS Dux in OSSOLIN incubuit illi hydræ, iam non hastæ, sed rationum acumine: perditi errores. Quæ adhuc illorum scintilla micabat, MAXIMILIANUS Curiæ Regni *THESAURARIUS* sub sceptris Vladislai IV, extinxit Euripo, quem integrum excerpsisse censebatur. Miechov.

Tunc patuit, si quid facundia posset! Ovidius

Quid immortali iam assertum luci, sepia suis involvet ũbris HIERONYMUM OSSOLINSKI, Abbatem Coprivnicensem? Ad istã se Vallem Divi Bernardi contulit, quò securior ab honorũ concursu lateret in altissimo declivi. Sed quantùmlibet virtus honorem aversetur, honor nunquam virtutem destituit. Illustrior in tenebris adãas, clarior Apollo sub cortina. Quærebat humilitas effugia, verùm æquitas præclusis quibusq; viis, torquem objecit honorariam, quâ irretitum HIERONYMUM, sanctam accepit prædam sancta dignitas. Adjecit lucẽ Claræ Valli Religiosis umbris inserta virtus, velut carbunculus. Illinc in Polonam Campaniam tanta probitatis erũpunt incendia, ut Vesuvius esse crederetur, nisi Vallẽ esse perspectum foret. Quantam de hæresi palmam ingenii tulerit, diserti loquen- Gasp. Ciche: in alloq; Osiec:

 tur

tur fasti, quos nomine, gloriâ, meritis implevit. Unũ caput septenis hæreticæ hydræ capitibus opposuit, par mille profligandis. Minimè tamen eruditas ejusmodi exaggeravit victorias, tanquam ex iis partas, quos suum destituerat caput, Romanus Pontifex. Eadem Divinior Pallas orthodoxum etiam Athlantem triumphavit. Exarserat in bella Reipublicæ pars non modica, bilem accendentibus odiis in Sigismundum III. Ardor hic nonnisi fœdis cruoris profluviis restinguendus erat. Adhibet suum tantis ignibus Eridanum, facundissimus HIERONYMUS, Marte calentes aggreditur animos, ingenio dimicat, vincit rationibus, prudentiâ triumphat, in spolio recipit elogia, oris diserti. Gradivus hastas, galeas, ferrum, inclinat Palladi, velut olim Anaximeni Macedo pro Lampsaco peroranti; demittit scutum ægidi, laurum oleæ, gladium Asciæ. Non otiosé Crucifixi pendulum è collo signaculum apprimebat Abbas pectori, cor illud boni publici gazam obsignabat, custodem Regni tuebatur flammam, quam tantus publicæ pacis amor accenderat.

Æquissima rerum parens natura, æquâ lance divisit dotes præclaras inter Fratres, sic ut in neutrum fuisset injuria. IACOBUS HIERONYMI Frater, profanæ lucis instructas ut elusisset insidias, atræ concolorem nocti subiit amictum, sub institutis Ignatii. Mirum in eo Sanctitatis & Sapientiæ fuit contubernium. De labiorum purpura, quæ Demosthenes totus insederat, prospiciebat innocentia;

ver-

vernabant in genis verecundæ rosæ, ridebant in vultu Charites, regnabat in pectore gratia Numinis. Inde passim cum Angelicis illis Iuvenibus, Stanislao Kostka, & Aloysio Gonzaga, unum dicebatur ingredi ternionem, unam occupare sphæram cum hisce sideribus. Religiosis umbris fumosarum Imaginum cumulavit Majestatem, non splendorem minuit; utriusq; tam OSSOLINIANÆ, quàm Lojoleæ Familiæ Virtutum heres legitimus. Inviderunt Scientiis, inuiderunt Societati IESU ornamentum non populare fata, in ipso ætatis flore spem in herba succiderunt, Nobiliorem Narcissum intulerunt Paradiso. Theologico Romæ consummato cursu, terminum imposuit vitæ. Disputavit, quemadmodum ipsa disputaret Sapientia: post erudita certamina, cœli promotus ad lauream.

Gaspa: Cichoc: in alloq; Osiec:

Ante decursum annorum aliquot, iisdem Ignatii flammis claruit IOSEPHUS OSSOLINIUS, quem ad modestiæ leges efformâsse visa pietas, ad literas enixa Pallas, Hic ex amplissimis *ILLUSTRISSIMÆ* Domûs Patrimoniis, nihil ad se spectare judicabat, præter scientias & Virtutes. Hanc, avitam quodammodo, possessionem gazis omnibus prætulit. Quidquid magnificum in cunis obligavit Lucina, totum Divinioris vitæ radiis illustravit. Quidquid Majorum ceræ Sanctitatis expresserant, in se transtulit, cereus in virtutes effingi. Matura jam Cœlo probitas in Juvene, ac Numine plenus animus, terris major, humana pertæsus, ad Superos evolavit.

Verúm in ipſa morte ſpirabat Imago viva ſanctimoniæ. Non doloribus proſterni, non fatis deprimi, non ultimo langvore lecto potuit affigi, omni fato ſublimior Juvenis. In Cœlos erecto vultu, fixis in æthere luminibus, ad ſuperos exporrecto pectore, protenſis brachiis, in altum extentâ manu, nimirum jam jam prehenſura Cœlum, flexis genibus, ſedibus beatis animam reſignavit. Corpus exanime, ſancto ejuſmodi ſitu miré compoſitum, tantam plurimis incuſſit ſui reverentiã, ut movere, tangere, propiús accedere, non auderent. Stabat illa viva perfectionis Religioſæ ſtatua, quam rarus Phidias, rara nempe ſanctitas efformavit ad prodigium. Literarum quanto flagraverit ſtudio, vel exinde colliges, quód Philoſophiæ, ſcilicet amori Sapientiæ, ſit immortuus. Quanto polleret ingenio, dicerent difficultates Philoſophicæ, quas audiviſſe, & reſolviſſe, eodem ipſius capitis claudebantur confinio.

Sed quid retroactos evolvam annos? Quot quot ad orbis eruditi delicias edidit Lucina OSSOLINIOS, ſæculorum in illos congeſſit ingenia. *ILLUSTRISSIMUS* Caſtellanus Polanecenſis, grandem ferro, grandem ſcipioni nuper Tribunalis, admovit manum. Tam Marti quàm Themidi, avitæ ſecuris acumen ſufficit. Hoſtium cervices, & cauſarũ nodos præcidere, ejuſdem aciei dotes ſunt. Geſtiit Aſtræa, dum ſcipio ſuus in ejus tumeret manu, qui Areopagum animo, pectore juſtitiam, capite leges Patrias complexus.

xus. Nihil in illo deſiderabant populorum vota, præterquam ut hoc ſubſellium occuparet diutiſſimè, par univerſi cauſis decidendis Mareſchallus. Pallebant crimina ſub Aſcia vindice, Iuſtitia triumphabat, ſuperbiebant tanto capite Scientiæ.

Pauló ſtylum reflecte penna! in aliam aciem irrumpe, quæ Martem Polonum armavit atq; Palladem! *ILLVSTRISSIMVS* Comes ANTONIUS OSSOLINSKI Militiæ Sarmaticæ Chiliarchus & gloria, Gradivo Patre, Minervâ Matre prodiit in lucem! Quid venuſtius, quàm eodem ſpartham ac Athenas claudi pectore? Nam armis cudimus adoreas, poſſidemus literis. Alexandro judice, felicior Ulyſſes Homero præcone, quàm excidio Troiæ. Nimirum per victorias candidatus, per Homeri calamum hæres factus æterni nominis. Ex utroq; Cæſar ANTONIUS: eàdem dexterâ, pari dexteritate, ſcribit & agit fortia. Aptas tam ferro quàm calamo manus applicat. Agendo ſcribenda, & ſcribendo geſta, par eſt. Satis eſt aliis Mars ad gloriã, aliis Minerva ſufficit ad elogiũ; OSSOLINIIS hoc utrũq; Nũen inter Penates eſt.

Quouſq; Jovẽ detinet ſua Creta? quouſq; OSSOLINIORUM ingenia ſuas inter venas coarctabo cũ ſangvine? Influit Pactolus hic in STAWSCIORUM Srzenawã; in avita MOSZYNIORUM Sphæra volvit gẽmas eloquii; tornat ſvadam aureã Cognatorum pene infinitorum Nominum, quæ ſua ſuperant amplitudine, quidquid acutum ſcientia, quidquid

egregium fasti, quidquid gloria magnificum habere potest.

Quotquot hìc Domestica Vobis in paginā præceps effudit calamus, ingenia, ōniū cōpendiū es, *ILLUSTRISSIME THESAURARIE*, grande scientiarum ærarium. Sapientissimi Majores Tui prototypon sunt, ad quod studiosè Te natura finxit, polivit ars exactior, perfecit industria. Relucent in Te, illi adamantes inter gemmas Poloniæ, Soles inter sidera, inter Proceres Numina, tantùm non Semi-Dii, quòd integerrimos fuisse palàm sit. Perorant in Te, consulunt in Te, Tuâ mente volvunt Regnorum cardines, vel per Te ipsum Majores, imò Summi, qui Summorum omnium Apex es. Quidquid illis erudito labore contulere merita, tanquam hæreditario jure, totum in Te devolutum. Hinc Tu in Consilio Consus, in Comitiis Lycurgus, in Areopago Aristides; ubiq; Principum Amor, delicium Populi, Fortuna Civium, Oraculum Poloniæ. Ab ore Tuo pendent eventus Patriæ, Consulum sensus, integritas publica. Dum loqueris, Athenæum aperis Plato Divinior. Sic Tuum Caput in orbem effingis melioris Fortunæ Lechicæ, Circum efficis, in quo doctæ sapiunt Academi.

Quanta verò de tanto Jove nata Pallas! *ILLUSTRISSIMUM* IOSEPHUM Capitaneum Chmielnicensem loquor. Crescit indoles ætate major, ac ingens animus in puero designat, quantus olim sit futurus. Format in mente Senatum; Reges, Cæsares, novus

in

in prætexta pene Papyrius? Perorat parvus Hortensius in herba facundiæ floridissima, spes certas Patriæ. Accendit meliore sereno, quàm Archimedes olim, classes eruditas, scientiarum Principis Academiæ. Mater illa sapientiæ Cracovia miratur Caput subitâ plenum Pallade, ac jam orbi suppar; animumq; natum literis. Miratur seipsam adultam in puero scientia, & ingenio tanto quodāmodo superbit, doletq; simul arceri corporis angustiis grandem animam. Mirari tunc primùm desinet, dum quæ prodigium est alibi docilitas, domesticam suspexerit OSSOLINIIS. Gestit Senatus, Catonem formari sibi, sed teneris succenset annis, quód suas morentur spes & vota. Reliqua soboles *ILLUSTRISSIMA* veluti sol, etiam primùm oriens, Principem lucis vultum explicat: veluti Nilus erumpens, in ipso capite maximus, & arâ dignus. Dixerat Tullius: Scipionis genus ex ipsius Sapientiæ stirpe generatum: dixerim ego: OSSOLINIOS ex Sapientia, Sapientiam ex OSSOLINIANA Stirpe nasci.

An verò temporibus, in Patriam & scientias, Vestra definitis merita? seculis illa porrigitis, non mediocre sæculorum pretium. Excitâstis Athenas Bidgostiæ, sed exclusistis Noctes Atticas, cùm augustiore sereno diem accenderitis ingeniis, *ILLUSTRISSIMI* Regni Soles. Iecistis feliciùs quàm Deucalion & Pyrrha, perennatura saxa, ut Poloniā-digni erumpant homines. Iecistis auream sementem, surget hæc in pretiosam gloriæ Vestræ

 mes-

ſem. Quot illinc prodibunt Mercurii, tot Aſciæ Veſtræ veluti formatricis panegyres. Scient ſecula, quód Veſtra Securis Jovis ex aurei capite Minervam non unam produxerit.

Ingenioſus Amor etiam, Veſter in ſuperos, quo tot hactenus calent aræ, tot Sacræ pulcherrimùm tument ædes. Præcurſor ille ituri per ſecula Vestri Nominis JOANNES NAVOGII Filius ab *ILLUSTRISSIMO* Avo ſuo *Sieciecho* cum ſangvine lucem & in Cœlos ardorem traxit. Iſte *Sieciechoviæ* Cistercium intulit, & plenum affudit Tagum: Ille plures ampliſſimis dotavit redditibus Eccleſias, dignus aris Numa, plurimis manum ſuppoſuit liberalem, quas vetustas acclinabat humo. Prostat Clemento-poli Monumentum beneficæ pietatis vestræ, quæ non potest non videri maxima, dum ſuam Divus Dominicus admovit facem. Tantâ gaza promovebat molem illam *ILLUSTRISSIMUS* SBIGNEUS, Sandomiriæ Palatinus, ut illi manum ultimam imponere nemo ſe hactenus parē præſtiterit. Ita vel addere quidquā Veſtris factis, vel grandia cæpta cō-plere, labor ſeculorum eſt. Sic olim pro Apelle Imagini Palladis nemo parilem admovit penicillum; non perfici præſtabat opus, quàm non ab Apelle compleri. Fulget inter Ignatii flammas Bidgoſtiæ Veſtra Phæbe, fulget inter aras honorata Cœlis Aſcia; fulget *CELSISSIMUS* GEORGIUS Dux in OSSOLIN Aurelius Divinior. Quid multa? tot Divino cultui vobis Amphionibus, muri ſurrexere, quot ad Religionis Veſtræ ſufficiunt prodigium.

digium. Præſtitiſtis in Divos largè, quod vellent præſtare Gratiæ, dediſtis abunde, quod accepiſſe Divos non pudeat.

Ad Te relabitur *ILLVSTRISSIME THESAVRARIE* rea tot errorum panegyris; Clementiſſimo Judici ream ſiſtimus, quòd Veſtri aciem ingenii ſermone inerti offenderit. Tam audacis ſtudii facinus ne ad tenebras damnetis, Veſtro ingenio defendimur; adeo ſublime eſt, ut in ejus laudum conſectatione Tullius etiam inelegans vocaretur. Quidquid aſſequi deſperat lucubratio, Vota compleant.

Iſtud *ILLVSTRISSIME THESAVRARIE* in Votis eſt univerſæ Nobiliſſimæ Provinciæ, ut ampliſſimos Honorum gradus decurras, dummodo, exoratus Sandomirienſis *CAPITANEVS*, muneris hujus onus nunquam detrectes. Ibis per ſublimia: mandabit Sereniſſimus Rex difficillima, labor laborem excipiet, Purpureus Clavus Clavum trudet, auguſtior minorem; neq; tamen operoſiſſima curandæ Reipublicæ munia Provinciam hanc à tuis evellent curis. Hoc *ILLVTRISSIMI* Proavi Tui, Palatini, Caſtellani Sandomirienſes è cœlo jubent, quorum humeris tranqvillitas & fortuna Palatinatûs diutiſſimè ſedit; hoc Ara Juſtitiæ, quam tangis, exorat.